

www.e-rara.ch

Summa iuris canonici comprehensa tribus partibus

Strein, Johann

Coloniae Agrippinae, 1658

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-31071>

Titulus X [= XI]. De executione sententiae.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

quā vindictam potius, quam sententiæ correctionem experere videntur. Licet enim esse sanctis viris censet *Torreblanca l. tert. Damonol. c. vigesimo octavo numero* 3. sed eas citationes imitari homines incompetentis sanctitatis periculo non varent.

Eadem *Delrio* tradit *Disqui. magic. l. 4. c. 4. q. 4. sect. 1.* non nisi sine extrinseco malam reddi provocationem ad divinum iudicium, existimans: per se vero actum bonum esse, ut patet ex exemplo *sacra Gen. 16.* iudicet terminus inter te, & me *Davidis 1. Regum 24.* Vlciscatur Dominus ex te, *Zacharia 1. Paralip. c. 24.* qui cum occideretur à Rege *Ioā*, dixit. Videat Dominus & requirat. Idem *SS.* Martyres non raro fecerunt.

R. 1. Provocationes ad divinum iudicium & communiter à damnatis ad mortem fiunt, magna ex parte temerariæ, & culpabiles sunt. Ratio vel enim sententia iudicis iusta, vel iniusta. Si iusta, manifestum est peccare provocantes. Si iniusta, nec humano ullo medio corrigi potest, necessarium est divinum id est, extraordinarium. Hoc autem provocatione exposcere nihil aliud est, quam tentare Deum, ut innocentiam damnati miraculo comprober: quod absque ulla inspiratione peculiari non licet.

Nec obstant exempla allegata: quia sancti illi non provocarunt, ad tribunal Dei, sed implorarunt auxilium ipsius pro avertenda iniuria, & manifestanda innocentia sua, quod absque miraculo fieri potest.

R. 2. Ut provocatio ad divinum iudicium peccato careat, requiritur 1. ut damnatus de sua innocentia, & iniuria iudicis formali certus sit. 2. ut propter gravitatem mali, & necessitatem innocentie prodendæ spes sit, habituram effectum, aut placituram Deo. 3. ut absque ullo passionis motu, & cum integra resignatione voluntatis propriæ in manus Dei fiat. His observatis à malitia excusari poterit talis actio, per se valde extraordinaria & periculosa. Exempla à prædictis auctoribus commemorata si fidem merentur, non plus evincunt: imo apud alios cordatos, & peritos nihil Mortuus ex g. iudex à reo citatus fuit puta intra mensem, vel annum. Vnde scies ideo factum, quia citatus est, & non potius, quia sine citatione moriturus erat? Alias si quis imprecatus mortem fuerit proximo suo, si hunc contingat mori, imprecationi tribuetur, quod ut evenire possit, accidentarium, & incertum est.

TITVLVS X.

De Executione sententiæ.



Ve nimirum omni iudiciorum conatus, hoc sententiæ rigor tendit; hic actionū fructus est,

ut iniuria sublata ius cui aversum reddatur. Reddunt vel inviti. Equidem ut ab executione inchoandum non est.

l. i. C. de execut. rei iud. & l. Nec quicquam. §. ubi diceretur. ff. de off. procons. ita cum inchoaveris, fortiter insistendum, in auxilium evocatis etiam extraneis. Nihil insolens, quod rei iudicatæ vigorem alius ad effectum deducit. *l. 8. Cod. hoc tit.* Præsidis provinciæ hæc olim cura propria erat. *l. Ordo C. de exec. rei iud.*

§. I.

Quid executio, & quomodo instituenda in civilibus.

I. Executio aliàs aliter, hic actio iudicati est: executor, qui rem iudicatam perducit ad effectum. *l. Executorem. C. de execut. rei iudicata. Glossa in c. Super questionum. de off. delegati.* Duplex est, *Merus* scilicet, cui sola executio committitur causa à Iudice cognita, & decisa, qui in rebus Ecclesiasticis potest esse quilibet clericus. *Non merus*, seu *mixtus*, cui aliquid à superiore exequendum seu pertractandum simpliciter committitur, & talis in rebus Ecclesiasticis esse non potest, nisi in dignitate constitutus, aut personatum habens, vel *Canonicus* Ecclesiæ Cathedralis, si commissio fiat ei auctoritate literarum apostolicarum, vel legatorum, aut delegatorum apostolicorum: secus si ab aliis, quia tunc quilibet clericus esse potest. *c. statutum. de rescr. in 6. Azo. l. 3. summa Rubr. 2. Silv. v. Executor. num. 1. Armilla eod. Schneidervin l. 4. tit. 6 §. Tripli.* Et talem esse verum Iudicem probat *Barb. in c. Pastoralis. de off. iud. deleg.*

II. Omnis sententia legitima executioni mandari potest, & debet, post-

quam in rem iudicatam transivit, in rebus statim, etiam armata manu, si necesse sit. *l. Qui restituere. ff. de rei vendic.* in personalibus post 4. menses à tempore latæ sententiæ. *l. fin. c. de usu rei iudica.* Nec ut in alè quidam asserunt, impeditur à tertio, quia appellare non potest, sed illi cavetur per indemnitatem, ut *Barbola* notat in *c. Cum super. de sent. & re iudic. Covar. l. qq. pract. c. 16. Gail. l. 1. obs. 70.* Cæterùm complenda executio est per Iudicem ordinarium: nec sententia à Delegato lata per eundem executioni mandari potest. *l. à Divo Pio. l. Properandum. §. si autem reus. C. de iud. Wesenbec. l. 4. §. tit. 1. Tholos. l. 50. c. 1. n. 27. & seq. Treutler. vol. 2. Disp. 23. n. 6.*

Excipe delegatum Imperatoris, & summi Pontificis, qui integrum annum habet ad exequendam sententiam suam aut si vult, executionem ad loci Ordinarium refert. *c. Quarentis. de off. & potest. iud. deleg. Menoch. de arb. q. 74. n. 48.* Arbitri quoque sententia per ordinarium Iudicem executioni mandatur. *l. Non ex omnibus. ff. de arb. Canis. l. 4. Institut. tit. 18. Mynsing. Centur. 3. obs. 68. VVuzmsen. tit. de delegatis obs. 2.*

Sententiam, quæ contra clerici personam, & bona ipsius exempta fertur, non nisi Ecclesiasticus Iudex exequi potest. *Zypeus de iuris. l. 1. c. 29.*

II. Facienda executio est à Iudice appellationis, quando sententiam confirmavit, idque iuxta sententiæ tenorem, & ordinem traditum in *l. A. à Divo Pio. §. Inventione. ff. de re iud.* ut si in causa debitorum actione personali actum sit, capienda sint mobilia primum, deinde immobilia, postmodum nomina debitorum:

torum: postremò ad ipsius personæ capturam devenitur. Neque enim persona capienda est pro debito, nisi excussis bonis, scilicet quando excussione facta iudicantur non sufficere. *Barb. in c. Quoniam. Ve lite non contestata.* qui etiam de beneficiis docet in *c. Pervenit. de fideiuss.* executionem fieri posse in redditibus illorum, quando alia bona delunt. *Guido Papa. q. 281. & 329. Schurf. Cent. I. Consilio 29.* Similiter in feudalibus bonis fieri posse tradit *Gaill. l. I. observat. II 7.*

Limita Primo, ut non sit opus ordinem prædictum servare in debitore ficti. Debitor enim capi potest etiam nulla bonorum excussione facta *l. Nemo. C. de exactorib. tributorum.*

Secundo in actione hypothecaria, Servianâ, seu pignoratitiâ.

Tertio cum executio faciendâ in vendendis rebus pupillaribus. Nam primò tunc capiuntur nomina debitorum. *Maranta Par. 6. §. de execut. num 15.* ita ut non servetur ordo legis, *Magis puto. §. Non passim. vers. quærere. ubi Bart. ff. de reb.*

III. In prædicta bonorum excussione parcendum est illis, quæ ad congruam debitoris sustentationem pertinent: & Ulpianus monet Creditores, ne velint exactores acerbi & contumeliosi, sed benigni & moderati esse. *l. si bene collata 33. ff. de usuris.* Insuper Novella Valentiniani Cæsaris prohibet duram exactorem à civibus, velut à hostibus, & vult iustitia potius ac misericordie debita finiri. *Tholos. l. 22. c. 8. ubi declarat, quænam in cessione bona*

debitores sibi retinere queant. *Lesius vero. c. 16. D. 3. cum,* qui absque culpa sua bonis cogitur cedere, dicit retinere, vel etiam abscondere posse, quantum ipsi necessarium est, ut tenuiter vivat, secundum exigentiam status sui. Neque enim est fraudandus quotidianis alimentis. *l. sunt, qui in id. & c. ff. de re iud. l. is qui. & l. qui bonis. l. debitores. ff. qui 60. ced. poss.* In eo a. qui ratione delicti convenitur, non habetur respectus ne egeat, licet clericus foret. *V. Covar. l. 2. var. c. 1. Castro Palao Tr. 30. D. 1. Pun. 17 §. 7. Silv. V. Cesiobon.*

IV. Damnatis ad solvendum actione personali conceditur quadrimestre tempus. *l. 2. l. 3. C. de usuris. c. Quærenti. 26. de off. & pot. iud. del.* Iudex tamen habita ratione qualitatis, quantitatis debiti obsequii vel contumaciæ personarum, prorogare vel coarctare tempus poterit. *l. 2. l. debitoribus ff. de re iud. c. Quod ad consultationem. de sent. & re iud.* Absque iusta causa ut faciat, leges non permittunt. *l. 4. §. si quis. ff. eod.* si verò absque causa quadrimestre tempus auxerit, dando v.g. sex mensium, valebit quidem prorogatio, ita tamen, ut quadrimestre, quod à iure conceditur simul computetur. *l. 4. cit. §. si quis.* Eodem modo agendum cum iis, qui sponte debitum confessi sunt. *l. Debitoribus. ff. de re iud.* Convicti enim, & confessi in iure paripassu incedunt. *l. Postrem iudicatum ff. de re iud. Schneidervin. l. 4. inst. tit. 6. §. de act. quod merus causa. num. 62.* ubi addit, iure Saxonico non nisi 14. dies concedi, Item eos,

qui ad factum damnati, sunt, si contumaciter obstant, in carcerem abduciposse. Alias pro civili debito nemo incarceratur. *l. Nemo carcerem. C. de exact. trib. Wormser. l. 1. tit. 28. observ. 8.*

Ita olim: hoc tempore passim carceribus in solutionem coguntur debitorum. *Molonius tit. 13. n. 7.*

V. Si verò in rem actum sit, debitori iudex imponet præceptum absque mora rem ipsam cum fructibus reddendi. Sed si in præsentem neget se restituere posse, & sine frustratione videbitur tempus restituendi causa petere, indulgendum est ei, ut tamen de litis æstimatione caveat cum fideiussore si intra tempus, quod ei datum est, non restituerit. *Inst. de officio iudicis §. 1. ubi Schneidevvin. num. 7.* monet, restitutionem rei statim faciendam esse non distinguendo inter rem soli, vel mobilem. Vtraque enim eadem æquitate statim ei reddenda, qui dominus pronunciatus est. *Gloss. Angel. & DD. hic.* Vnde non solet illud sententiæ inferi, cum sit legitimum, & sub intellectu. Quia tamen res pendet ab æquitate. *l. si debitori ff. de iudic. & petentibus indulgeatur. l. Debitoribus, 31. v. Non tantum petentibus.* idcirco neganti sincerè se restituere posse indulgendum est, ut tamen caveat de litis æstimatione, hoc est, pretio rei controversæ. *l. 21. ff. de iudic. cum sit fideiussore, qui mos est, latidationum iudicialium. l. 1. ff. Qui satisfacere cogantur nimiram,* si intra tempus concessum non restituerit, ut

fideiussor eam æstimationem præster. *§. Et si in rem Inst. l. cit.* ita tamen, ut non plus obligetur, quam principalis. *l. Gracè §. illud. ff. eod.*

VI. Si hæreditas petita sit cum ipsa fructus quoque veniunt hoc modo, ut si culpa, non percepit, si vel malæ fidei possessor fuerit, qui que nullam suæ possessionis causam dicere possit, hoc est, iustum titulum. Nam paria sunt, nullum habere titulum, & iniustum habere. *l. 7. C. de acquir. poss. super extantibus rei vendicatione, de consumptis conditione teneatur. l. 3. C. de condi. ex lege l. si pignora. ff. de pignor. act.*

Si verò bonæ fidei possessor fuerit, non habebit ratio neque consumptorum, neque non perceptorum, quia hos lucratur. *l. 4. §. 2. ff. fin. regund. l. 4. §. Lana. ff. de vsu cap. l. que sitam. 40. ff. de acquir. rer. dom. extantes verò perceptosque neque dum consumptos omnino tenetur restituere in petitione hæreditatis iure actionis. l. 1. 2. C. de petit. heredit. in vindicatione iudicis officio. l. cum fundus 31. ff. si certum petatur.* etiam consumptos, quatenus factus est locupletior. *l. 1. C. de petit. heredit.*

Denique post inchoatam petitionem, id est, litis contestationem illorum quoque fructuum facienda restitutio est, qui culpa possessoris percepti non sunt, vel percepti, & consumpti. *l. Iulianus. 9. §. quantum. ff. ad exhibend. l. 2. §. de fructibus. & lit. expos.* Tunc enim res propriè petita intelligitur, & pos.

& possessor quantumlibet bonæ fidei, in mala esse incipit. *l. Etsi. §. si ante. ff. de peris. hered.* quia de iure suo probabiliter dubitare incipit. *Ita ex Theophilo Schneidevvinus.* alii verò, & melius in petitione hæreditatis diversam rationem esse tradunt, eò quòd fructus ex ea percepti hæreditatem augeant. Ac proinde deberi, post qualemcunque denunciationem petitoris: intellige, si ita fiat decurtatio, ut omnem possessori dubitationem de iure hæcenus malè usurpato. eximat. Alias possessionis suæ beneficio fruatur.

VII. Quando actum, & iudicatum est de exhibendo, non satisfaciet, si exhibeat rem is, cum quo actum est, sed debet etiam rei causam exhibere; ut eam causam habeat actor, quam habiturus esset, si tum primum ad exhibendum egisset (hoc est, tempore contestationis. *l. præterea. 20. ff. de rei vindicatione.*) exhibita res fuisset. *l. Iulianus. §. pen. et ult. ff. ad exhibend.*

Causæ appellatione continetur omnne id, quòd habiturus tum erat actor restitutione facta *di. l. præterea. ff. de rei vend.* Ideò se inter moras restituendi usucapta sit res à possessore, nihilominus condemnabitur reus, quanti interfuit exhibitum esse *di. l. Iulianus. §. ult. ff. ad exhibend.* præterea fructuum mediæ temporis, quòd est à contestatione, ut principio ad sententiam usque velut exitum. *l. i. ff. de re iudic.*

Si reus neget, se in præsentem exhibere posse, & prorogationem petat, idque

sine frustratione petere videatur (non enim malitiis est indulgendum. *l. in fundo. ff. de rei vindicat.*) concedenda est, ita tamen, ut caveat, se commodo tempore, & post dilationem hoc nomine datam. restitutum. *l. de eo. §. pen. ff. ad exhibendum.* si autem neque in præsentem exhibeat, nec profuturo caveat, condemnabitur in id, quòd actoris intererat, si ab initio, id est tempore litis contestatæ res exhibita fuisset. *d. l. Iulianus. §. ult.* Vbi æquitati, & arbitrio iudicis materia, & quantitas suggeritur litigantium suspecta cupiditate.

VIII. In executione familiæ heriscundæ singulas res singulis hæredibus, hoc est, alias aliis pro debita cuiusque portione hæreditaria, non latione corporum, sed numero iudex distribuit. *l. 3. ff. famil. heriscund.*

Quòd si alicui pretiosior appareat tributa portio, debet hunc condemnare aliis, ut excessum restituat, & partes ad æquentur; ex bona huius iudicii fide. *l. 9. C. eod. tit. §. quadam. inst. de action.* similiter condemnatus est cohæredibus ad compensationem, qui fundi hæreditarii fructus percepit, consumpsit, vel corrupit. *l. inter: §. si cohæredes. et §. fructus. ff. famil. herisc.*

Idem modus servandus est in communi dividendo, si de pluribus actum sit. Si autem de una res tantum, puta, fundo, usque divisionem admittat, partem sitam singulis adiudicabit, & eius quæ proponeret, compensationem indicet, si dividi non

potest, uni alicui cedit, qui pretio aliis pro sua parte satisfaciet. *l. ultima C. de communi lega. lason. l. primo numero 39. ff. sicutum petatur Paulus Castrensis in l. ad officium C. communi divid. Schneid. xv. in titulo de actionibus. libro quarto institut. §. de act. famil. hanc.*

IX. Si finium regundorum actum fuerit, iudex dispiciet, an necessaria sit adiudicatio. Si autem alius modus suppetit, fines & limites constituendi, adiudicatio omittetur. *l. in fin. ii. ff. eod. & l. primo. l. 3. C. eodem* In adiudicatione aliquando ex vicino agro pars demenda erit, quo facto æquitas postulat, ut alii certa pecunia id damni compensent. *l. 2. 3. 4. & passim ff. eod.* A quibus malitiosè quid actum est in monendis, supprimendis vel transferendis terminis, u. condemnandi sunt, ut quantum aliorum interest, restituant, vel quanti in litem erit iuratum. *Glo. hic per. l. 3. ff. de in litem iurando.* Quanquam etiam extra ordinem criminaliter id crimen coercetur. *l. 2. 3. ff. de termino moto Paulus sentent. l. i. tit. 17.*

Terminus denique per mensorem iudex declari iubet. *l. firruptione 8. tit. ff. eod.* si iubente iudice metiri agros quis obstiterit, contumacia nomine punire licebit.

X. In causis debitorum, cum alia media deficient, & reus latet, missio nem in illius bona magistratus decernit facta potestate creditoribus, ut ea seruent, colant & fructus colligant, quorum pretio satisfiat sibi. Cognito autem fraudulenter latere debitorem, secun-

do decreto prætor omissionem in bona illius adiudicat creditoribus, vi cuius veri possessores consistunt, & omnes fructus inde collectos lucrifaciunt. *V. V. Pescher. l. 42. ff. tit. 4. & 5.*

§. 2.

De Executione in criminalibus.

I. In criminalibus causis præsertim capitalibus non est differenda executio, sed postquam sententia in rem iudicatam transiit, mundanda executioni est, quamvis condemnatus diceret, se habere revelandum aliquid concernens principis personam, statum, & salutem. *l. si quis forte ff. de pœnis* ubi causa additur, quia dubium non est, eos id facere differendi supplicii & eludendæ pœnæ causa: magisque puniendos propterea, qui tamdiu conticuerunt, quod pro salute principis habere se iactant. Nec enim debebant rem magnam tamdiu tacere.

Est propterea metuendum, ne pro liberatione reorum amici, vel cognati vel etiam correi occulti machinentur aliquid pro liberatione illorum: & supplicii pars est condemnatum expectatione futuri supplicii metu, & tristitia torqueri. *l. cum reus 18. C. de pœn. l. omnes 23. eod. Iulius Clarus q. 90. Tholus. l. 50. c. 1. n. 38. Dambaud. in praxi crim. c. 149. & seq. Curacius l. quinto c. nono Menochius de arbitrariis casu 334.*

II. Curandum vero in primis, ut sacramentali confessione animum suum

suum reus sollicitè expiet, tempore si opus fuerit præter solitum protogato. De Eucharistia præbenda locorum mores, & hominum sententiæ non mediocriter discrepant. Equidem illis in locis, in quibus consuetudo est, maleficos à sententiâ lata statim ad supplicium trahere, conveniens videtur, non præbere Eucharistiam ne commode & decenter fieret, Sed ubi post sententiâ conceditur unus vel duo dies omnino sacra communione reficiendi sunt, quando ad id debito modo se disposuerunt. *c. quæsitum 13. q. 2. ubi Gloss. Quidam quæsi verunt in concilio Moguntinensi. Vtrum corpora illorum, qui in patibulis suspenduntur, ad Ecclesiam deferenda sint, & divina pro illis celebranda. Et responsum est, quod sic, si dignè pœnituerint, quia sicut communio sacramentorum eis in sine non denegatur, ita communio corporis Christi vel sepultura eis denegari non debet, quia scriptum est, Non iudicat Deus bis in idipsum. Idem Pius 5. approbavit. Motu proprio super hoc edito.*

Idem Carolus V. in *criminalibus suis, sanctione 79.* & constantinensi in pronunciis, imperio Romano subditis observatur. *DU. in Clem. 1. de pœnit. Turrecrem inc. quæsitum Delrio disq. magic. l. quinto sectione 18. Binsfeld. membro 2. dub. 5. cum aliis multis quos allegat.*

III. Differri potest supplicium Primo, quando condemnatus officium procuratoris, vel administratoris, gessit, ut domino suorum rationem red-

dat. *l. 1. C. de bonis præscriptor. ubi additur curandum Domino, ut id velocius fiat, ne diutius iusto differatur pœna.*

Secundo quando reus est in arte sua periculisissimus. Tunc enim non modo differri, sed etiam revocari supplicium à principe debet, ne tam eximio & utili magistro resp. privetur. *l. ad bestias tit. de pœnis.* Ad bestias damnatos favore populi dimittere præles non debet, sed si eius roboris, vel artificii sint, ut dignius populo Romano exhiberi possint principem consulere debet. *Bartolus ibid.*

Tertio Cum per illos aliorum rerum cognitio expectatur. *l. qui ultimo supplicio de pœnis.*

Quarto quando calore iracundiæ sententiâ à principe lata est. Tunc enim 39. diebus expectandum esse Theodosius imperator sanxit, *l. si vindicare 20. C. de pœnis.*

Quinto appellatione, seu provocatione. Nam qui convicti tantum non vero confessi ducuntur, & provocant, nondum omnino damnati videntur. *l. 2. §. fin. tit. de pœnis.* Eum accipiemus damnatum, qui non provocabit. Cæterum si provocet, nondum damnatus videtur. Sexto cum mulier pugnans est, expectandum erit tempus pariendæ ne cum matre proles pereat, vel immerito plectatur. *l. crimen paternum ff. de pœnis.* Denique propter impœnitentiâ differre pœnam licet animæ favore, quamvis à principe rescriptum esset, ut sine mora plectantur. *Julius Clarus q. 97.*

Contin-

Contingit etiam mutari supplicium mitiore pœna. *Primo*, si reus ad profectendum supplicium viribus defecit. *Secundo*, si tempus subeunda pœnæ in carcere completum sit. *Tertio*, si restitutio in integrum obtenta.

Denique propter viridem ætatem, generis vel doctrinæ præstantiam. *V. Marantam s. de execur. n. 60. Menoch, casu 334. Gomez. to. III. c. 13. n. 36. Silvest. V. iudex §. 1. n. 16. Armilla eod. n. 31. Corvinus in Aphorism. l. 4. tit. 41.*

IV. Si damnatus ad mortem accuset aliquem vel aliquos, velitque prosequi actionem suam, audiendus est, suspensa executione, donec aboleverit, ita tamen, ut non permittatur cunctando tempus lucrari, & prætolari media speratæ, & non debitæ liberationis. *l. n. qui reus ff. de publ. iudic. & ibi Bart.*

Idem permittendum illi, qui intricatus debitorum rationes habet, at in gratiam hærendum eas expediat, ut caveat futuris litibus. Alibi tamen, ut *Iulius Clarus* testatur consuetudo est, ad eiusmodi rationes non attendere, sed sententiam capitalem primo quoque tempore executioni mandare. Suadet nihilominus, ut aliter fiat.

Executio regulariter non potest fieri per iudicem originis, vel domicili, nisi obtentæ consensu iudicis, qui sententiam tulit. *Bart. & DD. præsertim Iason. in l. à Divo Pio §. sententiam ff. de re iud. Glo. in l. cum quadam puella ff. de iurisd. Ratio est, quia de alieno processu non est requisitus. Si autem primi iudicis consensum obtinuit, poterit illius quasi*

imaginem, & vices gerens, iuxta *Baldum in l. fin. C. de edi, Divi Adriani tolent.*

Fieri nihilominus aliter potest, vel consuetudine præscripta, vel statuto particulari. *l. r. ff. de bonis auct. iud. possid. Bart. ibid. n. 1. Fbolofanus l. 47. num. 26. Iason. ff. de iurisd. omnium iudicum Mysing. Centur. 3. obj. 68. Gaill. l. 2. observazione 130 n. 13. Ferrar. in forma execur. n. 13. Decianus l. 4. c. 16. fusè Hartman. l. 2. tit. 1. observazione 6. Silv. V. pœna n. 21.*

VI. Iudices Ecclesiasticos monet *Franc. Leo in parte secunda thesauri Ecclesiastic. c. 27. num. 34.* ut quando executio realis vel personalis fieri potest, tam in procedendo, quam desiniendo à censuris Ecclesiasticis abstineant, cum liceat illis imponere multam pecuniariam, capere pignora, privare beneficiis & simil. Attamen quando contumacia, appareat, anathematis mucrone ferire posse, ut *Concil. Trid. statuit sessione vigesimo quinto c. tertio.* Rationem addit consideratione dignam, quia experientia docet, si excommunicatio temerè, & absque magna circumspectione feratur, contemni magis, quam metui, & perniciem prius adferre, quam salutem. Quam ob causam monitio Canonica, & trina præmitti debet. *c. contingit & ibi Glosam V. competenti de sententia excommunicatio- nis c. sacro Abb. & ibi numero nono Felinus n. 2. Innoc. in c. illud de cler. excom. Pias. p. 2. c. 4. n. 82.* sufficit tamen, ut unico actu probus fiat.

Quodsi contra universitatem, vel Collegium fiat, non excommu-
nicatio-

nicatione, sed interdicto utendum erit, *c. Romana. de sent. excomm. in 6.* & accurate explicatur ab *Avila de Censuris part. 5. disp. 1. Item part. 2. c. 4. disp. 1. dub. 5. Suario Tom 5. disp. 32. & seq.* Ratio est, ne Univerſitate vel Collegio excommunicato innoxios pœna tangat: nec aliâ excommunicari debent, quàm quorum culpa excommunicationem meretur. *Innoc. in c. Sacro de sent. excomm. Gaill. de pace publ. c. 9. n. 18. Decianus l. 5. c. 50. Navarr. Conſil. 9. de excomm. Roderic. To. 4. tit. 28. c. 6. Silveſt. V. Excomm. s. 11. 10. & seqq. Armilla n. 13. Zerola part. 2. n. 7* addens, ſi tamen de facto excommunicetur, ut accidisse ſuo tempore fatetur, excommunicationem obtinere, non tamen respectu innocentium de univerſitate, sed eorum tantum, qui deliquerunt.

§ 3.

Satisfit dubius de executione.

DVb. 1. An opus ſit citatione ejus, contra quem facienda executio eſt? *Mench. de arbitrar. l. 1. q. 17.* quamvis citationem putet Iuris divini eſſe, adeoque ſimpliciter neceſſariam etiam Iudici arbitrario, nihilominus *n. 15.* fatetur, neceſſariam non eſſe, quando exploratum eſt, nullam abſenti deſenſionem competere. *c. Cum ſit Romana. de appell. Andr. Gaill. l. 1. obſ. 113.* eſſe quidem communem opinionem fatetur de facienda citatione, à Camerâ tamen non obſervari. Simpliciter faciendam eſſe pronunciat. *Petr. Ferrar. in Practica. pag. 204.* addens rationem, quia is, contra quem agitur, lædi poteſt. *l. Nam ita Divus. ff. de adopt. maxime,* quia poſt ſententiam, poſſunt ſupervenire ipſi

reos multæ deſenſiones, quæ impediunt executionem, ut puta, pacti de non petendo, tranſactionis & ſimil. Imò reus offerre ſolutionem poteſt, & per hoc ſiſtere executionem. *Maranta* cum diſtinctione procedit, cui poſſumus ſubſcribere, Igitur

R. 1. Quando executio facienda eſt in eadem re, de quâ lata ſententia eſt, non requiritur citatio ſecundum *Bartolum, Alexandrum, & alios:* requiritur autem, quando appellatum eſt à ſententiâ, & appellatio deſerta. *Bart. in l. 1. ff. Nihil novari appellat. interpoſita Bald. & communiter DD. in l. Si contra. C. de appellat.*

R. 2. Citatio neceſſaria eſt, cum executio facienda contra ſucceſſorem, vel per Iudicem ſucceſſorem in officio. *Ratio,* quia hic modus ſecurior eſt, & evitantur exceptiones, quas opponere poteſt, quilibet ſucceſſor, cui minus nota ſunt acta contra antecceſſorem ſuum.

At verò, quid faciendum, quando reus condemnatus eſt ad multam pecuniariam, executio autem in aliis bonis facienda? Reſolvit *Maranta* tandem hoc modo. Cum plures actus interveniant, videlicet captura bonorum, pignorum, ſubhaſtatio & ſimil. in illis, quæ nullum præiudicium pariunt, ſed reparari poſſunt, nulla opus eſt citatione: eſſe autem, quando bona ſunt alienanda cum translatione domini. Hoc enim damnum vel irreparabile vel admodum difficile eſt Expedi igitur, imò neceſſarium eſt citare partem adverſam, ut proponat exceptiones ſuas. Atque ita ſervatum ſuo tempore *Maranta* teſtatur.

Dub. 2. An & quomodo per exceptionem impediatur executio?

R. Omnis exceptio, quæ post sententiam, & non contra sententiam opponitur, hoc est, quæ non repugnat sententiæ, qualis est compensatio debiti liquidi, & pretii non soluti, executionem impedire potest. l. 1. C. de re iu. & ibi communiter DD.

Idem habere locum in exceptionibus peremptoriis, Gaill. testatur l. 1. obs. 113. & Schvvanmannus l. 1. Processuum Camera c. 62. non quidem omnibus regulariter, sed in certis casibus à Gloss. numeratis l. 1. C. de iu. & facti ignor.

Primo in milite armatæ militiæ, ipso iure l. 21. de iure delib. & ibi Gloss. in V. Permittro, C. de iu. & fa. ignor.

Secundo in his, qui se defendunt, ne teneantur solvere solitum. l. Nefennius s. fin. ff. de re iudic. l. ex diverso. s. fin. solu. matrim.

Tertio in mandatore super re iudicata convento, qui adversus eos, qui idem mandarunt, actiones sibi mandari, desiderare poterit. l. 41. ff. de fideiussoribus.

Quarto, in beneficio S. C. Macedon. & Velleiani l. 12. ff. de S. C. Maced.

Quinto, in minore 25. annis ratione beneficii restitutionis in integrum, l. Minor. 36. ff. de minoribus.

Sexto, in exceptione banni, & excommunicationis, VVurmsf. l. 1. obs. 5.

Septimo in omnibus exceptionibus, per quas iudicium nullum fuisse monstratur. st. C. Quando provoca. non est necesse.

Atque hæc exceptiones nullitatis vocantur, quæ cum notoriæ sunt, ad impedendam executionem opponi possunt. Iason. in l. 1. de novi op. nunciat. Gribald. commun. opin. V. Exceptio. Gaill. & Schvvanmannus loc. citato. Quomodo autem pro-

bari debeant exceptiones, quæ executionem impediunt. Berlichius docet Part. 1. concl. 57. num. 81. Cardin. Tusch. concl. 410. VVurmsf. st. de appell. observ. 35. Mynsing centur. 4. observ. 64. Gaill. l. 1. observ. 127. num. 10.

Dub. 3. An executor ius habet cognoscendi de exceptionibus.

R. Executor de exceptionibus merita causæ concernentibus non potest cognoscere l. executorem. c. de exec. rei iudicata. Neque enim ipsius munus est iudicare, sed quod iudicatum est, ad effectum perducere. Si verò exceptiones non concernant merita causæ, sed sententiam nullitatis arguant, tanquam ex falso instrumento latam, vel alio modo nullam, de iis cognoscere poterit; & si appareat obstare executioni, ad priorem iudicem remittere, sin minus iis neglectis executionem urgebit. l. pen. ff. de confess. l. 2. c. ad l. Cornel. de fals. Mynsing. conf. 6. n. 15. Pet. Iacobi in Pract. pag. 261. Berlich. l. cit. concl. 57. num. 90. Follerius in Praxi censuali. pag. 510. Guido Papa. p. 574.

Dub. 4. An tertius impedire executionem possit?

R. Possit, quando sua interest. l. Sepa. ff. de re iudic. Manet enim integra defensio illi, quamvis sciverit contra alium agi. Et c. cum super. de sen. & re iudic. res inter aliquos acta non nocere aliis regulariter, iuxta constitutiones Canonicas, & civiles asseritur. & ibi DD. communiter qui præcipue admittunt interventionem illam, quando faciendâ executio est in re non petita, & super quâ non est lata sententia, sed super aliâ re. Tunc enim ius suum

factum producens executionem impedire potest.

Limita 1. ut non admittatur, nisi prius de suo interesse saltem summarie docuerit. 2. ut non procedat, quando ius tertii separatum est à iure principali. Tunc enim novus processus, & nova cognitio causæ requiritur. 3. quando malitiose agitur. Hoc enim quodcumque executor notaverit, illius conatum, exceptionem, & oppositorem nihil facere debet. Quod in praxi diligenter observandum esse. *Andr. Gaill. monet. l. 1. obs. 113. n. 12. Guido Papa decr. 419. num. 2. Angel. de Aret. Instit. de action. §. Sed si quis. Maranta part. 6. iudiciorum §. Executio. n. 57.*

Dub. 5. Quomodo iudex iudici ad executionem cooperetur.

R. Indubitati iuris, & supra indicatum est, iudicem Ecclesiasticum in causis secularibus brachium seculare implorare, & si contumaciter recuset iudex laicus extorquere posse. *c. 1. de off. iud. ord. cum ipus fuerit publicum conuocent (Episcop.) auxilium, non ad præiudicandum, sed potius ad ea, quæ Deo sunt placita, prosequendum. Covarr. l. Pract. 99. c. 10. Roland. consil. 37. Navarr. in c. cum contingat. de refer. Davalos in Director. part. 2. c. 13. Menoch. casu. 452. Gaill. l. 1. observ. 115. Barb. in c. cit.*

E contra iudex Ecclesiasticus laico succurrere in necessitatibus debet, quem admodum annotavit *Gloss. in di. c. 1. & Panorm. ibid. Alterius sic res altera possit opem.*

Meminerit autem iudex Ecclesiasticus postremum hoc remedium, nec nisi exploratis primò consuetis & propriis ad-

hibendum esse. Igitur si condemnatus Ecclesiasticas censores floccipendat, contumaciter resistat, nulli monitioni autem præbeat, laici Magistratus armatam manum & potentiam pro ferocia edomanda auersat. *c. Cum non ab homine. de iudic. c. Perniciosa. de off. iud. ord. Felin. in c. Significasti. de off. deleg. Tuschus in V. Brachium. cont. 125. Conc. Trid. sess. 25. c. 3. de Reform. Zypaus l. 4. de iurisd. Eccles. c. 12. ubi tradit auxilium seculare non à Scabinis, sed ab Officiario præstandum esse. Quod in loco, ubi vivebat ipse, locum habet. Aliàs crediderim ab illo opem implorandam, qui potest, & promptè solet annuere.*

Dub. 6. Ribaldus quidam ad mortem condemnatus pollicetur se mulierem in lupanari prostitutam, matrimonio sibi iuncturam, estne propterea liberandus?

R. In c. *Inter opera. de sponsal. Clem. III. ita loquitur. Statuimus, ut omnibus, qui publicas mulieres de lupanari extraerint, & duxerint in uxores, quod agunt, in remissionem proficiat peccatorum. Quibus verbis permoti aliqui censent eiusmodi Ribaldum à morte liberandum esse, sed absque sufficiente fundamento. Nam neque prædictum caput de temporali supplicio quicquam disponit, nec reip. prodest, hanc viam aperire ad evitandum supplicium sceleratis hominibus, de quibus non constat, meliores, an peiores futuri sint post liberationem. Sed opponunt aliqui non exigua poena est, cum eiusmodi muliere vitam agere. Honesto viro poenam fore non diffiteor, vilius scurris minimè, quibus etiam, cum libnerit, à molestia se per fugam eripient. Quapropter eius generis homines & rei*

nequaquam audiendi, sed destinato supplicio plectendi videntur. Hoc enim reip. interest, & divinæ voluntati in SS. revelatæ conformius. *l. 1. C. ad le. lul. repetund. l. Capitalium. S. famofos.*

Fieri tamen potest, ut habita ratione personarum, aliarumque circumstantiarum expediat aliquando indulgere eiusmodi, matrimonium, quod arbitrio, & prudentiæ iudicis, relinquatur. Quid enim si vir eximius in aliqua arte sit, multumque utilis reip., annon satius fuerit, servare illum, quàm mactare? *l. ad bestias. ff. de pœnis. Maranta part. 6. S. de Torreblanca l. 3. demonol. c. 13. n. 31. V. qua execut. n. 60. diximus S. preced. n. 3.*

Dub. 7. Reus mortis quidam electionem petit, fortè maius merito supplicium electurus, estne indulgendum?

Ri. Id iure Civili prohibitum esse. *l. Aut damnum S. proinde. ff. de pœnis.* Liberam mortis facultatem concedendi ius præsidès non habent, multò minùs veneno necandi. Néque enim pœna nisi invitis infligitur. *Bald. in l. 1. C. qui ad libert. ven. Roman. singul. 133. Marian. Socin. Son. in c. Sicut. de Iudæis. Felin. in c. Inter ceteras. n. 7. de rescript. & ibi Ripa. n. 75. Cepola in l. fugitivus. 59. ibid. Decius. n. 97.* Nihilominus olim multis concessum, hodieque concedi posse, *Gotofr. ad l. citatam. notar. Et Menoch. quest. 87.* ostendit, textum *l. Aut damnum loqui in eo casu,* quo certa pœna à lege statuta est. Tunc enim illà & non alia uti, aut cuiquam electionem permittere potest. Præter hæc *Tholos. l. 37. c. 14. n. 9* ad mortis pœnam inferendam tardos vult esse iudices. allatis quorundam Imperatorum exemplis.

Dub. 8. Quid faciendum reo, qui an-

te executionem, & supplicium moritur, vel seipsum occidit?

Resp. Si praxi spectes, varia est, quemadmodum *Iulius Clarus explicat S. fin. q. 51.* Quamvis enim lævire in cadavera mortuorum juri & humanitati videatur contrarium, ut coptosè demonstrat *Anton. Peregrin. l. 4. de iure Fisci. p. 305.* testatur nihilominus vidisse se, aliquando delinquentes, qui in actu capturæ à satellitibus occisi fuerant, suspendi ad aliorum terrorem, & hoc, quando delictum erat notorium. Item suspendi quendam incognitum, qui aggressus fuerat alium, & scelopum exonerârat, quem Senatus iussit furcis suspendi. Item alios qui pendente processu seipsum interfecerant furcis publicè affigi. Addit, alicubi omnes qui seipsum ex quacunque causa occidunt, suspendi: alibi eos tantum, qui pendente processu id faciunt, quia præsumuntur id facere conscientia proprii sceleris. Ex praxi igitur nihil certum, & firmum colligere possumus. Leges verò, secundum interpretationem DD. præcipere videntur, ne cadavera defunctorum, injuriâ aliquâ, vel pœnâ corporali afficiantur, quia crimen & pœna morte delinquentes extinguitur. *l. Aut privatim. ff. ad f. c. Turpil. V. Gaill. l. 1. de Pace c. 20.* Eorum, qui seipsum suspenderunt, etiam conscientia patratæ sceleris, corpora, non esse iterum patibulo affigenda. *Farinac. tradit. quest. 10. nu. 80,* ac proinde, ubi nulla in contrarium urget consuetudo, iudici cavendum, ne in cadavera sæviat.

Sed dubium remanet de cadaveribus debitorum, an retineri queant à creditore, donec plenè satisfactum fuerit? *Corvarr. l. 1. Variar. c. 1. n. 10.* creberrimo om-

nium contentu expeditum esse, ait, debitoris cadaveri sepulturam concedendam esse, siue is pauper, siue dives sit. *arg. text. in auct. Vt defuncti, seu funera eorum*. Pulcher text. in l. *Cum sit iniustum, C. de sepulcr. violat.* quo in loco passim interpretes hoc commemorant. Imo creditoris appellatio, ne cadaver debitoris sepeliatur, recipienda non est, cum res ista celerem expeditionem exigat, nec ullâ optimâ ratione dilationem admittat. *Gloss. in c. Ex parte de sepulcr. Boer. decis. 287. Grammat. decis. 82. Navarr. Consil. 37. Menoch. casu 283, num. 15. Garc. de expens. c. 8. Schyvanmann. l. observ. Practicar. pag. 119. Barb. in c. Ex parte. d. sepulcr.* Imò legibus olim vetitum erat vivos debitores in nexu habere, quamvis eâ lege pecuniam accepissent, ut *Livius testatur. V. Decianum l. 7. c. 10. n. 20.*

Dub. 9. Quid faciendum, si fur suspensus laqueo fracto decidat incolumis in terram?

R. *Antonius Gomez. Tomo III. c. 13. n. 37.* quia dubium est, casu, an miraculo acciderit, executionem suspendendam, & consulendum principem esse. In dubio enim sanctius est, nocentem impunitum relinquere quam innocentem condemnare. *l. Absentem. ff. de pœnis. l. 1. §. Si quis ultro. ff. de questionibus.*

Addit, ex historiis constare, precibus Beatæ Mariæ Virginis, aliorumque sanctorum, quosdam liberatos esse: quod quancumque certis indiciis constiterit, omninò parcendum erit reis. Cùm verò per negligentiam carnificis, vel industria aliquâ suspendendi casus acciderit, arbitrio supremi iudicis definiendum erit, quod magis expedire videbitur. Nam si passim omnes eximantur propter

eiusmodi casus, idem faciendum erit, si inter cædendum gladius exciderit, vel in frustra dissiliat: item si ignis semel accensus extinguatur pluvîa, aliove modo: quod nec legibus conforme, nec moribus utile, sed vel maximè dissonum, & & noxium esse nemo non videt.

Dub. 10. Quæ sit pœna eorum, qui executores impediunt.

De illis loquimur qui malitosè impedire conantur justâ sententiæ executionem. Nam executori manifestè injusto resistere licet, ut communiter DD. tradunt. *S. Thom. 2. 2. q. 69. art. 4. Caiet. Bann. Valentia & alii Interp. Ex Iu. Conf. Schneiderv. l. 4. Inst. tit. 6. de tertia act. pœnali. n. 87.*

R. Quicumque executionem iustam iniuste impedit, ad compensationem omnium damnorum, quæ inde proveniunt, obligatus est. *Domin. Soto. l. 4. q. 6. art. 5. Less. c. 9. D. 26. n. 154.* ex regulâ generali ab omnibus recepta. Qui auctor damni est ad restitutionem tenetur: quia damnus creare alicui, aliud non est, quàm privare illum bono aliquo, quod vel actu habet, vel proximè habiturus est. Unde oritur differentia notatu digna. Aliter reum esse, qui damnificat alios auferendo, quod actu habent, & quod potentiâ tantum. Priore modo ad æqualitatem, ut si abstulisses alicui 100 aureos, totidem deberes reddere: posteriori modo non tenetur ad æqualitatem, ac si actu habuisset bonum ablatum, sed ad æqualitatem potentiæ, pœnatâ ejus conditione, & simul personarum. *V. Dom. Soto. l. cit.*

Magistratus igitur æstimabit, quorum, & qualium bonorum jactura fiat ab eo, qui executioni obstat, cui præter restitutionem pœna irrogari potest, quæ in mi-

noribus arbitraria, in gravioribus suprema erit aliquando, puta, si læsa maiestatis crimen admissum sit, effringendo carcerem, vi eripiendo vinctos, manum iniiciendo apparitoribus, cum actu exequuntur. Non enim illorum pertona,

ac potestas, sed ipsius Principis violatur Meritò igitur capitis rei sunt. *Bart. in l. si quis. §. si quos ff. de penis. l. Si non convicitur de iniur. Guido Papa. decis. 537. n. 3. Tholos. l. 47. c. 40. n. 27. Iul. Clarus. q. 29. §. q. 68. nu. 10. Placa. l. 1. delict. c. 38. n. 7.*

TITVLVS XII.

De Executione privata.

EXecutionem privatam voco, quæ absque iudicis auctoritate, & interuentu, iuris naturalis permissione, vel tacito legum consensu ab illis fit, qui, quod sibi debetur, ordinariis mediis consequi non possunt. Titius, ut exemplo declarem equum meum possidet, nec adigi ulla ratione potest, ut iniuriam agnoscat, & alienum restituat, ideo equum aufero, vel equo par pretium. Iustè actum DD. communi assensu fatentur. Sed quia hic modus periculo non vacat, & creere turbas potest, cautelis firmandus est. *Gloss. in c. lus Gentium. dist. 1.*

§. I.

De compensatione occulta.

I. Compensationis est debiti & crediti inter se contributio. hoc est, quantitatum, in quibus duo sunt sibi invicem debitores, & creditores, ut id detrabatur de eo, quod reus debet, minimeque debitum censetur, ac pronuncietur, quia vicissim ei actor debet. *l. 1. ff. de compens. Molina disp. 560. Sylv. V. Compensatio. Arra-*

gon. in 2. 2. q. 62. art. 2. Fill. tr. 39. c. 10. n. 167.

Duplex est, publica, & privata. Aliquando enim conficitur auctoritate iudicis ad instantiam debitoris, excipientis de compensatione. *c. Bona fides. de depos.* Aliquando cum iudicis copia non est, vel alia impedimenta sunt privatâ auctoritate fieri potest, non reddendo rem alienam, aut vendicando sibi suam si extat, vel loco illius, quod eiusdem pretii est. Vnde sequitur, vim solutionis habere, & eius locum supplere. *l. Si debitor. ff. qui potior. in pign.*

II. Cum tua res apud alium extat iusto titulo, puta locati, commodati, pignoris, &c. non licet occultè tibi illam repetere, & auferre: modò spes sit illam suo tempore recuperandi. Nam ita auferendo privatatur iure suo possessor, cum quo conventum scilicet, ut tanto, vel tanto uti possit re locatâ, vel commodatâ. Ita communiter Theologi cum *S. Thom. in 2. 2. q. 66. art. 5. Caiet. & alii*, qui addunt ad restitutionem teneri, quando res alienius momenti est, & illius subtractio damnosa.

Excipio